



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

II. Violatæ fidei reus Arnulphus causam dixit in Concilio Remensi; ubi proditionem confeßus coram duodecim iudicibus, depositus est à synodo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

stirpis in causa Arnulphi Remensis Archiepiscopi: qui cum Metropolitanus esset, facilius patere potuit auctoritati Romanae. Sed antequam ultra progrediamur, observandus hic est error Cardinalis Perronij: qui Arnulphum hunc Remensem Archiepiscopum confundit cum Arnulpho Episcopo Aurelianensi, eumque nominat Arnulphum Episcopum Aurelianensem; cum tamen certum sit Archiepiscopum illum causam dixisse ut reum, Episcopum vero Aurelianensem sedisse inter iudices.

II. Ex actis Synodi Remensis habitae anno octingentesimo nonagesimo secundo colligitur Arnulphum illum Lotharij Regis filium fuisse ex concubina, Archiepiscopumque Remensem factum fuisse beneficio Hugonis Regis, cui praestiterat iuramentum fidelitatis. Et tamen violata fide data, portas urbis Remensis avunculo Carolo aperuerat, qui armis regnum repetebat ab Hugone. Eam ob rem Hugo synodum Remensem convocavit: ad quam vocatus Arnulphus, prodicionem suam ac perjurium confessus est coram duodecim Episcopis quos iudices & confessores suos esse postulavit, indignum se esse aiens episcopatu, eoque spoliari petens. Verbis autem generalibus confessionem suam repetiit in Concilio coram Rege & proceribus. Tum deponitur a synodo, quae pro eo vitam & membra a Rege impetrat.

III. Quaesitum est in synodo an competens illa esset ad iudicandam hanc causam absque auctoritate Summi Pontificis. Ad probandam necessitatem auctoritatis Romanae adductae sunt supposititiae epistolae Iulij, Damasi, & aliorum Pontificum. At parte ex alia, duo quaedam dicta sunt. Primum, Regem ante hos undecim menses epistolam scripsisse ad Ioannem XV. Papam, qua ad eum deferebat querelam suam adversus Arnulphum, petebatque *formam iudicij*. in quam etiam sententiam scripserant Episcopi Remenses. sed Ioannem nihil haecenus respondisse. necessitate itaque adactum Regem ad congregandam synodum: quae optimo jure poterat cognoscere de accusatione ista, postquam adeo manifestum erat Pontificem nolle cognitionem habere. ita quippe sancitum in canonibus, qui totam harum rerum auctoritatem tribuunt synodis provincialibus. Laudantur autem in eam rem canones Africani, itemque Antiocheni, Niceni, & nonnulla loca ex epistolis beati Gregorij, tum etiam exempla Aegidij & Ebbonis Remensium Archiepiscoporum, & interpretatio quam Hincmarus adhibuerat cano-

nibus & decretis quae in hac materia allegantur.

IV. Igitur constituta Concilij potestate, probatur auctoritate Conciliorum Tolitanorum prodicionem in Principem crimen esse quod depositionis poena plecti debet. Ceterum quod spectat ad confessionem Arnulphi, adnotandum est in antecessum, ut res ista melius intelligatur, receptam tum temporis non fuisse voluntariam cessionem episcopatus sine causa legitima, veluti gravis infirmitatis, aut criminis capitalis quod depositione puniri mos esset. Quoad crimina vero, necessarium erat ea probari magno testium numero fide dignorum, aut ut ea reus fateretur. Sed valida non erat confessio nisi secundum praescriptas in iure formulas fieret: quam tamen cautione quadam adhibita fieri necesse erat, si forte crimen capitale esset. Constituerat Leo sufficere poenitentibus confessionem criminum solis Presbyteris factam, neque necessarium esse ut ea scripto proderent. Videbat enim quod nisi ea necessitate exsolverentur, eorum inimici possent eis creare vitae periculum. Eo exemplo Episcopi accusati admittebantur ad confessionem suorum criminum; quam singillatim faciebant, nihil circumstantium omitrentes; & id quidem non coram universa synodo, sed apud Episcopos electos, qui ad secretum erant adstricti tanquam confessores poenitentis. Hunc autem agendi modum ad dignitatem suam vertebat synodus, ad vitandam scilicet appellationem accusati, quod juxta canones Africanos damnato non liceat ab electis iudicibus provocare. Episcopi vero a reo electi, ab eo assumebantur tanquam iudices, qui iudicariam ejus confessionem excipiebant, quae fundamentum erat sententiae damnationis. Confessio porro illa in aversione scribebatur in actis cessionis episcopatus quae accusatus scripto dabat. Confessores vero, id est, iudices electi, pronuntiabant crimen illud, quod accusatus fuerat confessus, poenam depositionis mereri.

V. Exemplo sit depositio Ebbonis Archiepiscopi Remensis: qui cum anno dccxxxv. in synodo apud Theodonis-villam accusatus fuisset a Ludovico Pio Imperatore, tres Episcopos elegit qui iudices essent suorum peccatorum; coram quibus omnia confessus, remedium poenitentiae ab eis petiit, ut a functione episcopali, cuius se indignum esse agnoscebat, recederet. *Secundum canonicam institutionem elegit sibi, per consensum synodi, Episcopos iudices peccatorum suorum, quos canones electos appellant; de quibus scriptum est in Concilio Africano c. 63.*